



[The page is mostly blank with some faint, illegible markings and a small dark smudge at the bottom left corner.]

1.
1.
1.
2.
1.
1.
1.
2.
3.



DISPUTATIO PHY-
SIOLOGICA DE RERVM

naturalium principijs:

QVAM,

Divinā aspirante gratiā,

SVB PRÆSIDIO,

CLARISSIMI,
OMNIQVE DOCTRINARVM

GENERE CVLTISSIMI VIRI, D. M. MI-

chaëlis Ziegleri, Professoris apud inclytam Tybingensium Aca-

demiā dexterrimi, præceptoris sui multum colendi, 4.

die Nouemb. horā locoq̄ solitis, pro ingenioli

tenuitate defendere cona-

bitur,

THOMAS LANSIVS
AVSTRIACVS.



TVBINGÆ,
Excudebat Georgius Gruppenbachius,

ANNO M. D. XCVI.

1596, 4

9



PRVDENTIA
ET INTEGRITATE ANIMI
PRÆSTANTI VIRO, DOMINO
Leonhardo Lansio, oppidi Bergensis, quod est in Austriâ
superiore, Senatori primario, parenti
suo summè obser-
uando;

HANC PHILOSOPHICAM
*ἡθικὴν, à se conscriptam, debita gratitudinis
& obseruantia ergò inscribit
atq; dicat*

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLÉ

Thomas Lansius f.



I
DISPUTATIO DE
PRINCIPIIS RERUM
Naturalium.

PRINCIPIORVM DOCTRINAM non solum esse pulcerrimam, uti-
lissimam: verum etiam maximo-
pere necessariam: omnes, qui le-
uiusculè saltem in officinà Philosophicà politi-
limatiq̃ue sunt, vno ore confitentur. Quocir-
ca nos tantà illius pulcritudine incensi, utili-
tate permoti, necessitate compulsi: quædam
non quidem in genere, sed in specie de rerum
naturalium principijs, proponemus.

Θ Ε Σ Ι Σ Ι.

ATQVE VT A DEFINITIONE INCI-
piamus: siquidem definitio lampas quædam est,
quâ discutitur, quicquid est caliginosum in quæ-
sito. Audiamus primùm Trismegistum, qui vixit
ante ter mille annos: is ita de principio conciona-
tur. ἡ μονὰς πάντων ἡ ρίζα καὶ ἀρχὴ ἕσται. ἀνεῦ δὲ ἀρχῆς οὐδέν. ἀρχὴ δὲ
οὐδένος: ἢ δὲ αὐτῆς. ἐπεὶ ἀρχὴ ἐστὶ τῶν ἐτέρων. Quæ sunt. Vnitas est
omnium & radix, & principiū: est autem nihil sine principio.
Principium verò aut est ex nullo: aut est ex seipso. quandoqui-
dem principium est aliquorum.

A 2

Audia-

2.

Audiamus & diuini Platonis oraculum de principio, quod habet in Phædro tale. ἀρχὴ ἀγέννητον. Ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γινόμενον γίνεσθαι: αὐτὴν δὲ μὴδ' ἐξ ἐνός. εἰ γὰρ ἐκ τῆς ἀρχῆς γίγνοιτο, ἢ ἐκ ἀν' ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. ἐπεὶ δὲ ἡ ἀγέννητον ἐστὶ, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι. ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολομένης: ὅτε αὐτὴ ποιεῖ ἐκ τῆς, ὅτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γένηται. εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δὲ τὰ πάντα γίνεσθαι. Ita sonant lingua latiali, si conuertas. Principium est ingenitum: necessum enim ex principio fieri, quicquid fit: ipsum autem principium ex nullo. Si enim ex aliquo fieret principium, non ex principio foret. Quandoquidem igitur ingenitum est principium, incorruptibile quoque ut sit oportet. Extincto enim principio: neque ipsum ex alio, neque alia ex ipso deinceps possunt fieri. Siquidem ex principio omnia fieri conuenit.

3.

Locupletissimus Aristoteles in libro περὶ ποιητικῆς nobis eiusmodi dat principij definitionem. Principium est, ὃ αὐτὸ μὲν μὴ ἐξ ἀνάγκης μὴ μετ' ἄλλο ἐστὶ: μετ' ἐκείνο δ' ἕτερον πέφυκεν εἶναι, ἢ γίνεσθαι, hoc est, quod non est post aliud ex necessitate: sed post quod alterum natum est esse, vel fieri.

4.

Subscribamus adhuc pulcram principij definitionem, quam nobis subiecit lectio viri cuiusdam doctissimi, quem nobis in hac disputatione ferè per omnia imitandum proposuimus. Principium, ait ille, est entis dimidium, quod inest per se.

5.

Paucis videtur explicandum, cur principium dicatur dimidium entis. Dicitur dimidium entis: quia principium iuuat constitutionem entis. Iuuat, quia vnum principium rem non constituit. Iam quæ rei constitutionem iuuant, illa sunt dimidiata tantum. Et quia in Physicis principia sunt tantum duo, quæ propriè vocantur principia, & principia operas diuidunt in constituendo ente: consequens, tantum cuique principiorum decedere ratione existentia, quantum ab altero iuuatur. Iuuatur autem ita, ut tantum tribuat reliquum principium, quantum vnum. Verum

6.
Verùm his ita indicatis, proximum est, vt de affectionibus, quæ principijs annectuntur, aliquid expromamus.

7.
Prima affectio hæc esto: *Τὰς ἀρχὰς εἶναι τινάς*: id est: aliqua esse principia. Testatur hoc Aristot. lib. i. *Physic. cap. 6.* cuius verba hæc sunt: *ὅτι μὲν ἓν ἔτε ἐν τῷ στοιχείῳ, ἔτε πλείω δυοῖν, ἢ τριῶν, φανερόν*. Vnum itaque elementum non esse, nec duobus, aut tribus plura, manifestum est.

8.
Patet id etiam hac ratione: quòd vnum non potest aliud & diuersum à se producere: sed idem perpetuò manet, nisi aliud quiddam accedat. Neque tamen iccirco infinita statuenda sunt. Hac namque ratione tota scientia naturalis tolleretur. Scitum est illud Aristotelis: *Τὰ ἀπειρα μὴ ἐσι διελθεῖν*.

9.
Quandoquidem autem quidam non de plebe Philosophi reperiuntur, qui affectionem illam, *τὰς ἀρχὰς εἶναι τινάς*, arietate cupiant: affirmantes, tum Aristotelem, tum alios statuiffe, ex vno omnia dependere: (Aristoteles enim in *Transnaturalibus* ita ait: *ὁ θεὸς δοκεῖ τὸ αἰτιὸν πᾶσιν εἶναι καὶ ἀρχή τις*) paucis respondendum fuerit.

10.
Respondemus ergo ad hoc *ἀντίπιπλον*: Aristotelem rectè concedere res naturales esse ab vno principio, scilicet Deo; quod etiam omnes *ἀναγκασθέντες ἀπὸ τῆς ἀληθείας* fatentur: sed easdem esse ex vno principio, eundem rectè negare. Namque AB causam infert efficientem: at EX infert causas ex quibus. Illud docet vnum esse, nec plura, à quo sit natura, quæ ingenitis principijs constet: hoc monstrat, quæ sint illa, ex quibus res comparatur primùm, seu quæ sint rerum omnium radices.

11.
Sequitur secunda affectio principiorum, quæ est: Principia esse inter se contraria. Hanc sententiam Aristoteles ita proponit *Physicæ ἀκροάσεως* lib. i. cap. 5. *ὅτι μὲν ἓν ἐναντίας δεῖ τὰς ἀρχὰς εἶναι, φανερόν*: id est: Principia igitur contraria esse oportere, liquidò constat.

A 3 Ratio



12.

Ratio hæc est. Quocunque vertimus oculos in totâ huius mundi fabricâ, & obseruamus rerum ortus, semper deprehendimus fieri eos ratione oppositorum: vt album fit ex non albo, dulce ex eo quod non est dulce. Vnde rectè concluditur, principia rerum naturalium opposita & contraria esse. Suffragatur nobis hîc maxima maximi Philosophi autoritas, nimirum Simplicij: qui plenâ hanc sententiam collaudat manu, & vocat *θεϊαν γνώμην*, quam *μηδεμία δόξα τῶν φιλοσοφούντων* potuerit labefactare.

13.

Iam ad tertiam affectionem, quæ talis est: Oportet principia nõ ex seipsis esse mutuò. Exprimit hanc Aristoteles lib. 1. cap. 5. Physicorum. verba Philosophi *ἐν εἰδὲ* sunt hæc: *θεῖ τὰς ἀρχὰς μὴ ἐξ ἀλλήλων εἶναι*. Quid hæc sibi velint, nemo non videt, qui aliquid videt. Dicitur enim: Principia se mutuò haud generare.

14.

Verum est hoc. Si enim essent ex sese mutuò, essent tantùm principia secundùm quid. Quâ enim sese mutuò poneret, eâ essent principia, & digna principiorum nomine: at quâ ex sese mutuò generarentur, non essent principia, sed principia-ta. Quicquid enim ex alio est, principium non est. at nos inuestigamus ea principia, quæ sunt *ἀπλῶς ἀρχαὶ* simpliciter principia.

15.

Affectio quarta sic habet: *θεῖ τὰς ἀρχὰς μὴ εἶναι ἐξ ἄλλων*. Principia oportet non ex alijs esse.

16.

Namque quicquid fit, id fit ex aliquo, quod est. Ex nihilo enim nihil fit. Atqui principia non fiunt ex aliquo, quod est, quia *τῶν ἀρχῶν ἕκ ἐστὶν αἰτιώτερον ἔδεν*: nihil magis est causa ipsis principijs. Ergo principia non fiunt. Vnde *συνεπόμενον*, esse eadem *κατ' αὐτὰ*. Huc accommodari potest, quod veteres dicebant: Principia esse Iouem & Iunonem, quibus superius sit nihil, neque in cælo, neque in terrâ. Nemo igitur, vt spero, affirmabit,

mabit, quòd principia sint ex alijs; qui per transfennam vel introspectit augustum rationis sacellum.

17.

Quintam affectionem tibi noster Aristoteles his verbis proponit. ἐκ τέτων (supple ἀρχῶν) τὰ πάντα: Ex his autē omnia. Extat locus in primâ Philosophia, qui cum hac præsentī affectione egregiè conspirat: estque is. Τὸ δὲ ἐξ ὧ γίγνεται τι, τὸ ἐστὶ ἀρχὴ πάντων. Illud verò, ex quo fit aliquid est principium rerum omnium. Nec absimile est illud, quod legitur in posterioribus Analyticis: Τὸ πρῶτον κατ' ἄλλο, κατ' ἐκείνο δὲ μηδὲν ἄλλο (scil. λέγεται) dicitur principium de alio, de ipso autem nullum.

18.

Hæc affectio licet suâ luceat luce: tamem rationem hanc appendamus. Aut ea, quæ existunt ἔξω τῶν ἀρχῶν, sunt ex principijs: aut sunt ex sese. Non autem sunt ex sese: quia alioquin & ipsa essent principia. Principia verò esse nequeunt: quia tolleretur distributio τῶν ὄντων, quæ est in principia & principia. non potest tolli, nisi tollatur natura, & ratio, quæ de naturâ iudicat. Quapropter cum principiata nequeant esse ex sese: oportet eadem esse ex principijs: vbi redit, ex principijs esse omnia.

19.

Accedamus ad affectionem principiorum sextam, quam Aristoteles subministrat Physicorum lib. 1. cap. 6. & est hæc: Τὰς ἀρχὰς αἰεὶ δεῖ μένειν. Oportet, vt principia semper maneant. Pulcerrimè hoc cum Platone concordat, qui dicebat: τὴν ἀρχὴν εἶναι ἀδιάφθορον: Principium interitui haud subiacere.

20.

Principia autem debere semper manere, hinc ostendī potest. Quia principia rerum necessariò requiruntur ad generationem & salutem eorum, quæ sunt in naturâ. Sunt enim eiusmodi res (scil. principia) quæ reliquas proferunt: & sine quibus principiata, quæ nunquam non sunt, si sint ipsa principia, salva manere non possunt. Atqui quæ necessariò requiruntur ad salutem ac constitutionem rerum, illa semper oportet manere.

manere. Nisi enim semper manerent, interiret natura: quæ tamen adhuc firma est, & per naturam suam tam citò haud corruet. Ex his concluditur, quod volumus: τὰς ἀρχὰς ἀεὶ μένειν.

21.

Septima affectio hæc esto. Principia nec sunt, nec agunt solitariè.

22.

Neutrum enim principiorum absoluit integram aliquam substantiam: sed necessitas postulat, ut ambo concurrant, si τὸδε τι sit expectandum. Rectè igitur dicitur: ἡ ὕλη συναιτία ἐστὶ τῆ μορφῆ: & ἡ μορφή συναιτία ἐστὶ τῆ ὕλης.

23.

Postquam affectiones principiorum aliquot percensuimus, & tales quidem, quas Senatus populusque Peripateticus facilè comprobabit: animus est deinceps exponere, quæ veterum de numero principiorum fuerit sententia.

24.

Quidam fuerunt, qui statuerunt, omnia esse ens vnum immobile: quod alius finitum, alius infinitum esse contendit. Hoc ex ordine fuisse dicuntur, Xenophanes (vixit hic annos centum, & eo ampliùs: fuitque acerrimus Homeri atque Hesiodi insectator) Parmenides, Melissus: quos Aristoteles passim in suis scriptis confutat, præsertim posteriores duos: (Parmenidem & Melissum dico) de quibus in lib. 1. cap. 2. φυσικῆς ἀκροάσεως ita iudicat. ἀμφότεροι ἐριστικῶς συλλογίζονται, καὶ Μελίσσῳ καὶ Παρμενίδῃ: καὶ γὰρ ψευδῆ λαμβάνουσι, καὶ ἀσυλλογιστοὶ εἰσι. μᾶλλον δὲ ὁ Μελίσσῳ φορτικὸς λόγῳ, καὶ ἔχει ἀπορίαν.

25.

Si talis horum Philosophorum fuit opinio, quam ipsis Aristoteles imponit, explosione potius, quam confutatione digni sunt censendi: sin verò alià meliore suam sententiam explicârunt ratione, non est, cur per calumniam ipsorum integritas opprimatur. De Xenophane Aristoteles ipse in Transnaturalibus non dubitat, quin per illud, omnia esse vnum, Deum intellexerit. De Parmenide & Melisso in lib. 3. de cælo cap. 1. hæc lege. οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν ἀνεῖλον ὅλως γένεσιν καὶ φθορᾶν.

ἔδεν

ἔθεν γὰρ ἔτε γίνεσθαι φασιν, ἔτε φθείρεσθαι τῶν ὄντων: ἀλλὰ μόνον δοκεῖ ἡμῖν οἷον οἱ περὶ Μέλισσόν τε καὶ Παρμενίδην, ἕς εἰ καὶ τὰλλα λέγῃσι καλῶς, ἀλλ' ἔ φυσικῶς γε δεῖ νομίσαι λέγειν. De utroq; hoc Alexander, Aristotelicæ doctrinæ fidissimus cultor, tantum tot verbis profitetur. ὁ Παρμενίδης καὶ ὁ Μέλισσος φιλοσοφῶντες περὶ ἀρχῆς λέγῃσι πρῶτον ὄν, ὃ καλῶμεν τὸν θεόν. Multa possemus adhuc ex Simplicio adducere, qui apertè, & quidem prolixè demonstrat: illos de Deo philosophatos fuisse. Sed ab hisce abeamus.

26.

Anaxagoras Clazomenius Anaximenes discipulus: Magister autem Archelai Philosophi, Euripidis Poetæ, & Periclis Atheniensium principis, Oratoris maximi, qui ob incredibilem eloquentiæ vim dictus fuit tonare, fulminare, totam Græciam permiscere. Ille Anaxagoras hæc tria de principijs statuisse creditur. Primum: Principia rerum naturalium εἶναι μεμιγμένα. Vbi hoc maximè exaudiebatur: ἦν ὁμῶς πάντα. Secundum: Eadem esse ὁμοιομερῆ. Vbi maximè locum habebat illud: πάντα ἐν παντὶ μέμικται. Vnde Lucretius sic canit Poeta vetustissimus.

Hoc & Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omnes

Res putet immixtas rebus latitare: sed illud

Apparere vnum, cuius sint plurima mixta,

Et magis in promptu, primaq; in fronte locata.

Tertium: Principia esse ἀπειρα, infinita.

27.

Ad primum quod attinet: Si Anaxagoras existimavit, quodlibet in quolibet esse ἐνεργεία, solenniter insanuit; nec ei quisquam ferre suppetias poterit: iret enim in veritatem. Sin verò putavit, quodlibet esse in quolibet δυνάμει: nihil attulit dignum exagitatione. Ad secundum: Omnia inter se esse ὁμοιομερῆ, concedi potest hoc, si spectetur materia rerum naturalium: cuius ratione omnia inter se sunt vnum. Ad tertium: Principia esse infinita. Si hoc simpliciter defendit, commiseratione indiget. Sin verò docuit, τὰ ὄντα esse infinita respectu nostri, à veritate ipsa satis superq; defenditur.

B

Præter

28.

Præter hæc Anaxagoras ad mundi fabricam adhibuit mentem loco efficientis, quæ confusam illam partium similitum congeriem segregando distingueret, & ornaret. Ita enim Aristoteles inquit Physicorum lib. 8. cap. 1. *φησὶ γὰρ Ἀναξαγόρας, ὁ μὲν πάντων ὄντων καὶ ἡρεμένων τὸν ἀπειρον χρόνον, κίνησιν ἐμποιοῦσαι τὸν νοῦν, καὶ διακρίναι.*

29.

Democritus (huic σύγχρονος fuit Medicorum princeps Hippocrates) & Leucippus etiam ab Aristotele perstringuntur, quasi sinistrè senserint de naturâ principiorum, deq; numero eorundem. Itaq; docet, eos contendisse, duo esse rerum principia τὸ πλήρες καὶ τὸ κενόν, plenum & vacuum.

30.

Hi egregiè cum Aristotele conciliari possunt, si ita sententiam illorū explicemus. Plenum videlicet significare τὸ ὄν: vacuum autem τὸ μὴ ὄν. τὸ ὄν iam significare materiam & formā, principia πρὸς μίαν φύσιν concurrentia: τὸ μὴ ὄν illud κακοποιόν, quod Aristoteles cum principijs copulat, & nominat priuationem. Sed intellexerint, ut voluerint: quid refert id nostra? Satis est, si illorum opiniones saltim referamus.

31.

Prodeantiam Pythagoræi, & suam de principijs sententiam profiteantur. Distribuitur, quod docuerint, principia rerum naturalium esse numeros: & ex numeris prodijisse, quæcunque existant. Aristoteles enim lib. 3. cap. 1. de cælo hæc habet. *ἐπινοιοὶ γὰρ τὴν φύσιν ἐξ ἀριθμῶν συνιστάσιν: ὥπερ καὶ τῶν Πυθαγορείων τινές.* Quidam naturam componunt ex numeris: quemadmodum quidam Pythagoræorum faciunt.

32.

Verùm apprimè notandum hîc, Pythagoræos hosce nō in eâ sententiâ fuisse: ut numeros pro γνησίαις ἀρχαῖς τῶν ὄντων haberent: sed tantum pro ὁμοιώμασι τῶν ὄντων. Symbolis enim hi Philosophi sua exponebant, & per numeros res exprimebant:

bant: non autem reapse numeros rerum principia statuebant. Testatur hoc Aristoteles Metaphysicorum lib. I. cap. 5. Confirmat idem Philoponus in commentarijs Metaphys.

33.
Assunto & alij Pythagoræi (non enim in vniuersum de Pythagoræis diximus) qui viginti rerum principia introduxerunt: & in has decem συζυγίας coniugationes contraxerunt: quas Aristoteles in Metaphysicis commemorat.

πέρας	ἄπειρον.
περιττόν	ἄρτιον.
έν	πλήθος.
δεξιόν	ἀριστερόν.
ἄρρεν	ἄνθρωπον.
ἡρεμῶν	κινούμενον.
εὐθύ	καμπύλον.
φῶς	σκότος.
ἀγαθόν	κακόν.
τετράγωνον	ἑτεροσημῆδες.

Nolumus hîc diutiùs inhærescere. Nam μακροῦ λόγου δέε ταῦτ' ἐπεξελεθῆν τοσῶς.

34.
Sequitur diuini Platonis sententia super rerum naturalium principijs. Is statuit τὴν τῶν ἀρχῶν τετράδα, principiorum quaternionem: Deum, Ideam, Formam, Materiam. Deum facit principium separatum, quod naturam hanc produxit. Ideam facit principium separatum, ad cuius præscriptum hæc natura à Deo fuit configurata. Hæc quasi ἑκτυπῶν est, quem Deus in condendo mundo respexit: perinde vt aurifaber poculi formam in suâ mente effingit, eamque circumfert: antequam poculum conficiat. Materiam facit principium insitum, quod omnis generationis est subiectum. Formam facit principium insitum, quod impressum est materiæ ad præscriptum Ideæ. Atque hæc forma nihil aliud est, quàm character, quores differt à re, quæ aliàs materiæ causâ erat confusum incertumque quiddam.

B 2

Quid



35.

Quid autem naturæ infelici partu editus Epicurus sentit? Ille ut absurdus fuit in toto Philosophiæ genere, & omnia monstrosis fabulis compleuit: ita quoque in hoc negotio τὰς ἀτόμους inuexit, ex quibus, ut ille putabat, hæc ingens mundi machina, ut & alij mundi innumerabiles, confluxerint. Atomos autem ille portentosè stultus asseuerabat tenuissimas mundi particulas: tam tenues, ut tenuitate vincerent vel tenuissima in mundo: easque aut esse illa corpuscula, quæ Sole splendente in eius discursent radijs, aut esse corpora illis adhucteneriora. Huic dogmati Aristotelis ore reclamatur ipsa natura. Abeamus ergo ab illo: quippe qui nihil homine, nedum Deo dignum sapuit.

36.

Thales Milesius, vnus de septem sapientibus, naturalis Philosophiæ primus apud Græcos autor, sensit principium omnium rerum esse aquam, vel ipsum humidum: propterea, quòd cerneret semina & alimenta rerum esse humida. Ex quo autem res gignuntur & aluntur, id esse principium earum rerum. Sunt, qui augurantur, Thaletem ad hanc sententiam fuisse perductum Homero illo versu: ὠκεανὸν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύου: Oceanum Diuûm Genesin, Tethynque parentem.

37.

Anaximenes auditor Anaximandri principium omnium rerum dixit esse aërem. Hanc eius opinionem fuisse testatur Aristoteles. i. Metaphysices, & Theophrastus. Simplicius quoque confirmat idem se in illius scriptis comperisse. Eiusdem sententiæ fuit Diogenes Apolloniates discipulus Anaximenes, vir propter eloquentiam & sapientiam haudquaquam incelebris: cuius decreta, teste Laertio, sunt, elementum omnium esse aërem: ex quo densato & rarecente gigni mundos innumerabiles; esse infinitum, inane; terram rotundam, & in medio locatam fixamque semper hære.

Sed



38.

Sed declino iam ad finem de opinionibus Philosophorum de principijs. Vnus adhuc adiungendus est, qui vltimam præfenti dissertatiunculæ imponat manum: tunc Aristotelem nostrum audiemus. Heraclitum hîc nominare placet, virum animi ingenijque magnitudine, humanarumque rerum despicientia valde memorabilem: qui, quò magis soluto & vacuo animo philosophari posset, regnum fratri concessit. Ille cum Hyppaso Metapontino sensit cunctarum rerum initium esse ignem, ex quo nascerentur omnia, & in quem cuncta tandem occiderent. Cumque omnes res densatione & rarefactione fiant, arbitratur eas more fluminis continenter labi, & fluere. Visum autem est illi ignem præ cæteris elementis constitutum esse principium omnium: quòd inter omnia elementa loco & dignitate emineat, quòd per omnia commeet, quòd cætera illi in pabulum cedant.

39.

Hæ sunt Philosophorum opiniones super principijs, non quidem omnium, tamen clariorum. Quis enim singulorum opiniones commemorare possit? Nam reperies, si paulò diligentius circumferas oculos in Aristotele, & alijs autoribus, tot fuisse de principijs sententias, quot vel fuerunt Philosophi. Ad Arist. nos conferamus.

40.

Magnus Aristoteles tria ponit vniuersa naturæ principia: Materiam, Formam, Priuationem. Tria esse, clarum est ex lib. 1.º Phys. cap. 7. vbi ait: ἔτε πλείους τῶν ἐναντίων αἱ ἀρχαὶ τῶν πραγμάτων, ἀλλὰ δύο, ὡς εἶπεν, τῶ ἀριθμῶ: ἔτε αὖ παντελῶς δύο, διὰ τὸ ἕτερον ὑπάρχειν τὸ εἶναι αὐτοῖς, ἀλλὰ τρεῖς. Nec contrarijs quodammodo plura sunt principia, sed duo (vt sic dicam) numero: nec rursus duo omninò, quòd ipsorum essentia diuersa sit, sed tria. Et in antecedentibus eiusdem capituli appellat suis nominibus, atque indicat quæ sint illa principia. γίγνεθ', ait Philosophus, ἀπαντα ἐκ τῆς ὑποκειμένου καὶ τῆς μορφῆς. σύνκειθ' ὁ μουσικὸς ἀνθρώπος ἐξ ἀνθρώπου καὶ μουσικῆς τέχνης τινά. ἢ ὁ σέσησις, καὶ ἡ ἐναντίωσις, συμβεβηκός: ἐν

B 3

ἢ τὸ



ἢ τὸ εἶδος. Perspicuum est, rem omnem fieri ex subiecto & formâ. Musicus enim homo ex homine & musico quodammodo componitur. At priuatio & contrarietas accidens est: vnum quid autem forma. Constat ergo iam nobis etiam sententia Aristotelis de numero principiorum.

41.

Verùm principia hæc penitiùs adhuc inspicienda sunt. Perpendendum igitur nobis primum, quid singula hæc principia sint. Post subiungendæ sunt illorum, quas habent, quædam affectiones.

42.

Primum locum tribuamus materiæ, quam D. Augustinus ita definit. Materia est infima omnium rerum, & propè nihil: ex se informis, & immutabilis: omnium tamen formarum capax, omniumq; mutationum primum subiectum: non tam ex se, quàm ex commutatione eorum, quæ in eâ versantur apta cognosci à nobis.

43.

Subscribamus & definitionem Schrami, quæ talis est. Materia est principium, quod subiacet.

44.

Aristot. autem lib. i. Physicorum capite 9. hoc modo definit. λέγω γὰρ ὕλην, τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἐκάσῳ, ἐξ ὧ γίνεται πᾶσα ἀρχὴ κατὰ συμβεβηκός: εἴτε φθίρεται π, εἰς τὸ ἀφίξει ἕχατον. Dico enim materiam primum cuiusque subiectum, ex quo infito vnumquodque non ex accidente generatur: & in quod, si quidpiam interit, postremò resoluitur.

45.

Sunt plures materiæ diuisiones: nulla tamen adhuc, quod liquidò affirmare ausim, exquisita data est. Nos vnâ hoc loco assignamus, quâ secatur materia in propinquam, quæ vocatur οἰκεία, & remotam: reliquas sicco prætereamus pede.

46.

Materia propinqua ita est præparata, temperata, ac proportionata reddita, per multas mutationes & alterationes: vt
ex ipsâ

ex ipsâ statim, non interuenientibus vltra alijs mutationibus vel generationibus, res certa fieri possit: siue vt in ipsam immediatè iam forma propria induci, & inesse in eâ queat. Vt ex ouo corui non nisi coruus nascitur.

47.

Materia remota est, ex quâ potest fieri quodlibet, quæque vicissitudine quâdam omnium formarum capax est: sed non statim tamen, aut vnicâ duntaxat mutatione, sed pluribus interuenientibus. Talis est natura primæ materiæ, quæ rerum omnium quidem in naturâ est materia: sed remota. Hæc enim elementis materiam præstat, & ex elementorum diuersâ mixture ac temperatione oriuntur singularum rerum materiæ proximæ.

48.

Locus hic monet, vt aduersario cuidam eamus *εις μετ'ωρον*, eumque agamus per præcipitia absurditatum: quoniam in definiendâ materiâ sibi permagnam licentiam sumpsit. Is est Petrus Ramus, Philosophus alioquin doctus, & nequaquam stolidus: qui in Scholis Physicis profitetur, Materiam esse causam, ex quâ res fit.

49.

Hanc definitionem approbare non possum, nisi velim improbare veritatem. Eam igitur ita impugno. Quæcunque definitio latior est definito illa est vitiosa. Sed hæc materiæ definitio est talis. Rame conclude. Maiorem etiam non probatam accipis: siquidem definitioni vbique assignas reciprocationem. Minorem ita roboro & probō: quia τὸ Ex quâ res est, non solum materiæ, sed etiam formæ competit. Aequè enim dicere possum. Forma est principium ex quâ res est. Eas nunc Rame, & iactites, tuam materiæ definitionem esse bonam & accuratam.

50.

Ad formam descendamus. Summus Arist. lib. Physicorū 2. cap. 3. formam definit hoc modo. *ἄλλον ἢ τρόπον αἴτιον λέγει τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα: τὸ ἕστιν ὃ λόγῳ ὁ ἔτι μὲν εἶναι.* Alio verò modo causa dicitur forma & exemplar: quæ est essentiæ ratio.

Meta-

Metaphysico lib. 6. cap. 7. hanc legis definitionem. εἶδος ἢ λέξις τὸ πρῶτον εἶναι ἐκάστου, καὶ τὴν πρῶτην εἶσιν. Voco autē formam ipsam esse rei cuiuslibet, ipsamq; primam essentiam.

51.

Alij autem formam definiunt, vt Arabes, esse participationem primi actus impressam rebus. Et primum actum vocant vel Deum, vel ipsum esse. Alij ita: Forma est actus simplex substantialis, vnum per se cum materiā constituens. Schrammus hoc modo: Forma est principium, quod differt.

52.

Duplex est forma: Substantialis & accidentalis. Substantialis vel est incorporea vel corporea.

53.

Forma substantialis incorporea dicitur, quæ à materia omni prorsus sensili separata est. Tales formæ sunt angelorum, de quibus Physici non est differere.

54.

Forma substantialis corporea est, quæ cum præsens & actu in materia est: facit, vt res dicatur substantia esse, & vt à quacunquere aliâ essentialiter differat. qualis est forma hominis, leonis, apri, cerui, &c. Eadem forma cùm destruitur, tum substantia ipsa rei & compositum destructum esse dicitur. Hanc formam considerat Physicus.

55.

Forma accidentalis est, quæ rem siue substantiam accidentem aliquo exornat vel deformat. Cuius generis sunt sanitas, morbus: pulcritudo, deformitas: virtus, vitium, &c. Huiusmodi formæ vocantur accidentia, συμβεβηκότα. non enim faciunt, vt res sit: sed accidunt ei, efficiuntque quantam aut qualem: quorum possunt ac solent plurima esse in re qualibet, propter quæ tamen res nec est, nec interit.

56.

Quid Priuatio tandem? Priuatio cùm sit vocabulum ἐμῶνυμον, ideoque antequam definiatur, fuerit distinguendum.

Pri-

Primum itaque priuatio significat ἀφάρσειν ablationem. Hanc speciem priuationis esse quandam negationem, extra omnem dubitationis est aleam: esse verò negationem simplicem, nemo concedet, qui purum rationis radium consecutatur. Huius priuationis respectu verum est illud enunciatur, quo omnes scholæ perstrepunt: Omnis priuatio præsupponit habitum. Vt qui factus est viduus, is aliquando habuisse uxorem colligitur.

57.

Altera priuationis significatio est etiam negatio: sed nec hæc simplex: siquidem annexum quid habet, quod illam à purâ putâ negatione plurimum differre faciat. Hanc significatio-
 γομεν ἕκαστον τῶν τῆς ἐξέως δεκτικῶν, ὅταν ἐν ᾧ πέφυκεν ὑπάρχειν, ἢ ὅτε πέφυκεν ἔχειν μηδαμῶς ὑπάρχει. ναδόν τε γὰρ λέγομεν, ὅτι μὴ ἔχον ὀδόν-
 τας: ἢ τυφλόν, ὅτι μὴ ἔχον ὄφιν: ἀλλὰ τὸ μὴ ἔχον ὅτι πέφυκεν ἔχειν. ἐνια
 γὰρ ἐν γενετῆς ἔτε ὄφιν, ἔτε ὀδόντας ἔχει: ἀλλ' ὅτι λέγετε ἔτε ναδα, ἔτε τυφλά.
 Hoc est: Tunc verò dicimus singula, quæ habitum recipere pos-
 sunt, priuata esse: cum in quo naturâ inesse debent, aut quando
 naturâ haberi debent, nullo modo insunt. Edentulum enim di-
 cimus, non quòd non habeat dentes: & cæcum, non quòd non
 habeat dentes: & cæcum, non quòd habeat aspectum: sed quòd
 non habeat, quando naturâ habere debet. Nam quædam ab
 ortu nec aspectum, nec dentes habent: non tamen dicuntur
 edentula, nec cæca. Hanc priuationem definiunt, esse negatio-
 nem quandam, quæ insit in subiecto eiusmodi, in quo affirma-
 tum insit naturâ.

58.

Significatio tertia est talis. ἡ σέσησις interdum notat absen-
 tiam quandam formæ futuræ. Res itaque hoc modo dicitur
 priuari eo, quod habere potest. Nec hæc subiecti affectio est pu-
 ra puta absentia: sed coniunctum aliquid habet, gratiâ cuius
 dicitur rerum naturalium principium: nimirum potentiam
 quandam, quâ res quæpiam fruitur, dum nouam formam ac-
 quirat.

59.

H' σέσησις in quarta significatione est absoluta absentia.
 C Est



Est enim omninò nihil, cum sit opposita è diametro τῷ ὄντι.
& proinde simplici negatione declaratur. Hanc Aristoteles intellexit, quādo priuationem vocabat τὸ μὴ ὄν καθ' αὐτὴν. Eandem & innuit, vbi inquit: ἐκ εἶναι διαφορὰν τῆς σερήσεως, ἢ σέρεσις.

60.

Voce priuationis in sua significata dissectâ: consequens est, vt ad definitionem deueniamus. Definiemus autem priuationem in tertiâ significatione. Priuatio estabilitas contraria formæ suscipiendæ. Hæc priuatio apud Philosophos tantum gratiæ inuenit, vt in senatum principiorum allegaretur.

61.

Haecenus de trium principiorum definitionibus egimus: iam de affectionibus singulorum, vt polliciti sumus, aliquid promulgabimus.

62.

Ergo primò de quibusdam materiæ affectionibus dicamus: primaque esto hæc, quam nobis largitur aureus Aristoteles Phys. acroa. lib. I. cap. 7. καὶ δῆλον ἐστίν, inquit, ὅτι δεῖ ὑποκεῖσθαι πρὸς τὰς ἐναντίας, καὶ τὰ ἐναντία δύο εἶναι. Atque in confesso est, contrarijs subijci aliquid oportere: & contraria duo esse. Hæc affectio, ἄλλω ὑποκεῖσθαι ita certa est, vt, si res accuratiore veritatis lance libretur, nullis aduersariorum telis transuerberari.

63.

Sed in antiquitatis antra retrocedamus, & videamus, quas nobis de hac affectione gemmas sparserit. Offert se nobis Ocellus, Pythagoræus disciplinâ (audiuit enim cum Timæo Locro ipsum Pythagoram) qui in quodam loco hæc scribit: πρῶτως ἢ ἡ ὕλη πανδεχὲς. κοινὸν γὰρ ὑπόκειθαι πᾶσιν. Materia verò est receptaculum omnium primò: cōmuniter enim subijcitur omnibus. Offert se nobis & Plato, qui in Dialogo de rerū Naturâ ita differit. Τίνα ἔν ἔχον δύναμιν καὶ φύσιν αὐτὸ ὑποληπτόν; τοῖάνδε μάλιστα, πάσης εἶναι γενέσεως ὑποδοχὴν, οἷον πιθίνην. Latinis auribus ita sonant. Quam ergo vim atque naturam habere existimandum est? (quod scilicet rebus omnibus substernitur) hanc præcipuè: vt sit generationis receptaculum, & quasi quædam nutrix.

Secun-

64.

Secunda affectio legitur Physic. lib. i. cap. 9. his verbis.
 τὸ δὲ, ὃ πέφυκεν ἐπιεσθαι καὶ ὀρέγεσθαι αὐτῷ, κατὰ τὴν αὐτῆ φύσιν. Aliud ve-
 rō, scil. principium, quod natum est appetere & desiderare al-
 terum: id est, formam secundum ipsius naturam. Sententia est:
 Formam quidpiam diuinum esse, & bonum, atque expetibile,
 quod materia ingenitâ sibi propensione exoptat & affectat.

65.

Tertia affectio perscripta est Phys. lib. i. cap. 7. Ἡ δ' ὑποκει-
 μένη φύσις, ἐπισηλὴ καὶ ἀναλογίαν. ὡς γὰρ πρὸς ἀνδριάντα χαλκός, ἢ πρὸς
 κλίνῳ ξύλον, ἢ πρὸς τῶν ἄλλων πτωῶν ἐχόντων μορφὴν: ὅτως αὐτὴ πρὸς
 ἔσσαν ἔχει, καὶ τὸ τόδε π, καὶ τὸ ὄν. Latine. Quæ autem subijcitur na-
 tura, proportione sciri potest. Quemadmodum enim se habet
 æs ad statuam, aut lignum ad lecticam, vel ad aliquid aliud eo-
 rum, quæ habent formam: ita & ipsa affecta est ad essentiam, &
 hoc aliquid, & ad ens.

66.

Hæc affectio non nata est in Aristotelis cerebro, sed desum-
 fit eam ex Platone: imò neque apud Platonem nata est, sed apud
 Timæum Locrum Pythagoræum. Hic enim in libello περὶ φύ-
 χας τῶ κόσμῳ Doricâ dialecto hæc scribit: (φαμέν προγνωρίζεσθαι)
 τὰν μὲν ἰδέαν νόῳ κατ' ἐπιστάμαν: τὰν δὲ ὕλαν λογισμῶ νόθῳ, τῶ μήπω
 κατ' ἐνδυορίαν νοεῖσθαι αὐτὰν: ἀλλὰ κατ' ἀναλογίαν. Quæ sunt. (Di-
 cimus cognosci) formam quidem mente per scientiam, mate-
 riam autem spurriâ ratiocinatione: propterea, quòd ea nun-
 quam intelligatur directè, verum per proportionem.

67.

Vt autem hic noster pateat animus: nos materiam non
 solum κατ' ἀναλογίαν, sed etiam directè cognosci posse ingenuè
 profiteamur. Subscribo iudicium acutissimi Scaligeri, si tamen
 is quid iudicij tulit, qui alicubi affirmat, Materiæ esse suam
 quidditatem, quâ est aliquid, & aliud ab alijs.

68.

Quarta affectio habetur lib. i. Phys. cap. 9. & est hæc: ἢ μὲν
 γὰρ ὑπομένοντα σωματῖα τῆ μορφῆ. Natura autem quæ substat est
 concaussa cum formâ.

C 2

Hæc

69.

Hæc affectio materiæ propria non est, siquidem & formæ conuenit. Dicere enim possum, ἡ μορφή σωματία ἐστὶ τῆ ὕλης. Vt autem materiæ propria efficiatur, ipsius communitas restringenda est hoc modo: Materia est concaussa quædam, quæ hac suâ agendi vi ῥίζι τὸ ὄν, radicat rem, seu fundamentum ponit: vnde τὰ πάθη ἔονται omnia & singula, sed suo modo, dependent.

70.

Quintam affectionem ex eodem capite excerpere possimus, & talis esto. Ἡ ὕλη τῶν γινομένων ἐστὶν, ὡσπερ μήτις. Materia est quasi mater illarum rerum, quæ fiunt. Quicquid hîc dicit Aristoteles, id desumpsit ex Platonis Timæo, quod etiam Aristotelis interpretes vno ore confitentur. Ibi enim Plato de materiâ hoc edit oraculum: διὸ τὴν ἔργον ὁρατὸν, καὶ παντὸς αἰσθητῶν μιντέρας καὶ ὑποδοχὴν λέγομεν. Iccirco subiectum rei visibilis, quæ facta est, & cuiuscunque, quod in sensus incurrere potest, matrem & receptaculum dicimus.

71.

Sed aduertendum hîc, materiam habere rationem matris, non respectu ἔνεσθαι, quod perpetuò insit rei: sed respectu passionis: siquidem pati maximè materiæ competit.

72.

Sequitur sexta affectio, quæ in eodem est capite, ἡ ὕλη ὁρέγει ἔιδες, ὡσπερ θήλυ ἀρρέν, καὶ αἰσχρὸν καλῶ. Materia appetit formam, quemadmodum fœmina marem, & turpe pulcrum. Ferè idem sentit Timæus Locrus. Sic enim scribit. ἀδὲ ὕλα λόγον ἔχει θήλυ. Materia in rationem venit fœmellæ.

73.

Paucis libet affectionem hanc dispicere. Quemadmodum vxor nulla potest dici, nisi habeat aliquem maritum: sunt enim relata maritus & vxor: ita materia nulla potest esse, nisi habeat adiunctam formam. Deinde, vt à formâ res nominatur, à materiâ non item: interim tamen æquabiliter ad rem constituendam concurrunt: ita eminentiam quandam præ vxore maritus habet. Licet enim maritus vxori det, vt sit vxor, & vxor marito, vt sit maritus: tamen aliqua deprehenditur ὑπεροχὴ in marito.

Præ-

74.

Præterea appellatur materia *ἀσχερόν*: Primum, quia materia si conferatur cum formâ est crassum quiddam: forma verò res valde subtilis, *θεῖον τι*. Secundò: quia materia multis formis potest substerni, perinde vt pellex *παλλακή* multos affectatur maritòs: forma eadem, à materiâ in materiam nunquam potest transilire. Tertiò: quia materia est *ἀδηλόν τι*, incertum quid respectu sui compositi: at forma rem circumscribit, & facit, vt sit aliquid certum, & ab alijs distinctum in naturâ. Denique: quia materia est pati: at formæ agere.

75.

Septima affectio desumitur ex lib. 3. *Περὶ ἕραν* cap. 8. Verba Philosophi sunt hæc: *ἀειδὲς ἢ ἀμορφον δεῖ τὸ ὑποκείμενον εἶναι*. Subiectum oportet vacare quâuis formâ. Et alibi ait: *εἶδ' ἢ ἔχει ἢ ὕλη*. Formam non habet materia. *Ὁ μὲν φησὶ* est Timæus Locrus, qui asserit *τὰν ὕλαν εἶναι ἀμορφον καθ' αὐτὰν*: materiam per se esse formæ expertem. *Ὁ μὲν φησὶ* est & Plato, qui asseuerat materiam *παντάπασιν* esse *ἀμορφον*. Rationem hanc attexit: *ὅτι (materia scilicet) δέχεται πάντα τὰ εἶδη*.

76.

Sciendum hîc: Si dicitur enunciato isto, Materiam omni formâ destitui, materiae partem nō esse ipsam formam in composito, tum res nihil habet incommodi: at si hoc vult, materiam planè nullam habere formam, tum nos ab Aristotele, Locro, & Platone abimus: & è contrario affirmamus, materiae esse suam formam, per quam sit materia.

77.

Succedit affectio octaua, quæ legitur *περὶ γενέσεως ἢ φθορᾶς* lib. 2. cap. 1. *ἡμεῖς δὲ φαμέν τάντην (ὕλην) ἔχωριστήν: ἀλλ' αἰ μετ' ἐναντιώσεως, ἐξ ἧς γίνεται τὰ καλούμενα σοιχεία*. id est: Nos verò dicimus illam (materiam) inseparabilem esse: sed semper cum contrarietate (constitutam,) ex quâ fiunt, quæ dicuntur elementa.

C 3

Ex hac



78.

Ex hac affectione elegantia hæc theoremata elicere licet. Primum: nullam posse materiam esse solitariam. Secundum: materiam inesse. Tertium: materiam, quæ propriè hoc nomine appelletur, extra rem non posse constitui.

79.

Affectio nona lib. i. cap. 7. de ortu & interitu expressa est his verbis: ἢ δὲ ὕλη, ἢ ὕλη, παθητικόν. Materia, quæ est materia, habet vim patiendi. Idem tradit Aristoteles alibi. τῆς μὲν γὰρ ὕλης τὸ πάσχειν ἐστὶ. materiæ est pati. Ocellus hoc roborat, qui ait: ἢ ὕλη ἐπιδέχεται τὸ πάθεσθαι. materia recipit passionem. Passiones itaque accidunt rebus, non quatenus aliquam formam obtinent: sed quatenus materiâ aliquâ sunt suffultæ.

80.

Decimam affectionem porrigit nobis Aristoteles in Metaph. ἀλλ' ὅσα ἀριθμῶ πολλά, ὕλην ἔχει. Sed quæ numero multa sunt, illa non sunt expertia materiæ. Hanc affectionem esse probam, nemo non videt, qui sacratoribus gubernatur Musis.

81.

Multiplex enim est quantitas. Esse autem multiplex, habet causam, ob quam tale sit. In causâ erit vel materia, vel forma, forma non, quia est simplex quiddam. Quocirca τὸ multiplex esse ad materiam pertinebit: quia materia talis est, ut semper pluribus possit attribui. Verum igitur manet effatum Aristotelis: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

82.

Undecimam affectionem expromitt tibi Phys. lib. i. cap. 9. quæ est huiusmodi: ἀφθαρτον ἢ ἀγέννητον ἀνάγκη αὐτὴν εἶναι. Necessesse est materiam neque oriri, neque interire. Locrus in lib. περὶ ψυχᾶς τῶ κόσμῳ hoc habet. τὰντα δὲ τὰν ὕλην αἰδιον μὲν ἔφα. Eiusmodi verò materiam æternam esse dixi. Nec non oraculum Apollinis materiam appellat ἀφθαρτον.

Ratio

83.

Ratio autem subditur illa: *εἰ γὰρ ἐγένετο, ὑποκείσθαι τι δεῖ πρῶτον, τὸ ἐξ ἧς ἐνυπάρχοντος*. Si enim fieret, oporteret aliquid primum subijci, ex quo cum inesset, illud oriretur. Nempe ita concludit Philosophus. In generatione & corruptione necessum est aliquid subijci, circa quod generatio & corruptio, quasi occupatur. At materiae nihil potest subijci: quia ipsa subiacet. Non igitur generatur, vel corrumpitur.

84.

Affectio duodecima. Materia affecta seu qualificata est ad formam sustinendam. Hæc affectio ab omnibus veritatis exquisitoris studiosis benè notanda est: siquidem permultum de naturâ materiae prædicat: & eam ita depingit, vt nullius pictoris penicillo tam exquisitè potuisset depingi.

85.

Affectio decima tertia. Materia est causa quantitatis. Non tamen hæc cum affectione illâ est eadem: *τὰ πολλὰ ἀριθμῶ ὕλην ἔχει*. Ibi enim quantitatem multitudinis intelligebamus: hîc verò magnitudinis quantitatem insinuamus.

86.

Affectio decima quarta. Materia est incertum quid, id est, indefinitæ cuiusdam naturæ.

87.

Materia enim tantum ostendit *τὸ ὅτι: τὸ διότι* verò solet ostendere forma. Vt si dicam: hæc res habet materiam: ergo est aliquid. *τὸ* aliquid esse aliquid quidem significat, sed non definitum. Et contra: materiam hæc res non habet: ergo est nihil. At absurdior essem vel absurdissimâ absurditate, si ita ratiocinarer: Hæc res constat ferro: Ergo est gladius. Hoc enim si sequeretur, sequeretur & hoc: Tu es homo: ergo es Romanus Imperator. at nondum es.

88.

Hæc de affectionibus materiae dicere volui: iam arcem formæ inuadamus, & eius penetralia perlustremus: hoc est: affectiones seu proprietates quasdam formæ breuibus afferamus.

Qua-

89.

Quapropter prima hæc esto. Forma est *θεῖον τι*: diuinum quid. Aristoteles lib. 1. Phys. cap. 9. hanc affectionem, vt & duas proximè sequentes his verbis effert. *ὄντι γὰρ τινὸς θεῖο, καὶ ἀγαθοῦ, καὶ ἐφετῆ, τὸ μὲν ἐναντίον αὐτῷ φαμέν εἶναι.* Cùm enim diuinum quiddam sit, & bonum, & expetendum: aliud quidem contrarium (*σέριστιν* intellige) ei esse dicimus.

90.

Causam quæris, cur forma appelletur *θεῖον τι*? reddam. *θεῖο* affectus est, vt sit perfectum. Perfectum autem est illud, cui nihil ad sui absolutionem deest. Hanc si non habet res, *θεῖον* appellari non poterit. Atqui eiusmodi perfectio est in formâ. Eam enim si res possidet, nihil ei ampliùs adijci potest, vt fiat, quod nondum sit. Quin si habet formam, iam omne illud est, quod fieri potest per naturæ suæ conditionem. Quocirca perfectionis ratione non incongruè forma appellari potest τὸ *θεῖον*.

91.

Sequitur secunda affectio. Forma est *ἀγαθόν τι*, bonum quid.

92.

Rationem hanc habeto. Quod omnia appetunt, illud est bonum. Definit enim bonum Aristoteles Eth. Nicom. lib. 1. cap. 1. hoc modo. *διὸ καλῶς ἀπεφάνησαν τὸ ἀγαθὸν, ὅτι πάντα ἐφίεται.* Ideoque scitè veteres id esse bonum definierunt, quod omnia appetunt. At formam omnia appetunt. Ait enim nunquam satis mihi laudatus Aristoteles, *πάντα ὀρέγεσθαι ἔστιν εἶναι*, omnia esse cupiunt. Esse autem maximè possunt per formam: eò, quòd rem certam & definitam efficiat. Concludite.

93.

Sequitur affectio tertia, quæ est: Forma est *ἐφετόν τι*, res eiusmodi, quæ expetenda sit. Deducta est hæc ex præcedente, quâ forma bona est effecta.

Formam

94.
Formam verò esse ἐφετόν τι liquidò constat. Est enim rei salus, & sine ea absolutè nulla res existere potest. Quid autem est, quod non suam salutem expetat, nolitque existere? Si Aristotelem, Philosophorum aquiliferum, suam sententiam roges, is promptam habebit responsionem, & dicet: meliùs esse existere, quàm non existere. Si roges vniuersum chori Physicì Senatù, is respondebit, applaudente populo Physico toto: Quicquid Aristoteles verà nixus ratione statuerit, fixum ratumque apud nos esto. Deinde forma est ἐφετόν τι, quia est rei absolutio, id est, rei quasi κολοφῶνα ἐπιτίθησι. Omnia autem in vniuerso mundi teatro perfici cupiunt, & fieri, quod nondum sunt. Concludite.

95.
Quartam affectionem Physicorum lib. 2. cap. 8. his legitimus verbis delineatam, καὶ ἐπεὶ ἡ φύσις διτλή, ἢ μὲν ὡς ὕλη, ἢ δὲ ὡς μορφή: τέλος δὲ αὐτῆ, ἢ τέλος δὲ ἕνεκα τὰ ἄλλα. αὐτῆ ἀν εἶη ἡ αἰτία ἢ τῆ ἕνεκα. Latio ita sonant. Cumque natura sit duplex: altera quidem vt materia, altera verò vt forma. hæc finis est, ob finem autem sunt reliqua. forma igitur causa fuerit, cuius gratiâ: id est, finis.

96.
Quintam affectionem nobis exhibet Physicorum lib. 5. cap. 1. Τὰ δὲ εἶδει, καὶ τὰ πάθη, καὶ ὁ τόπος, εἰς ἃ κινῶνται τὰ κινέμενα, ἀκίνητά ἐστιν. Formæ autem & affectiones, & locus, in quæ mouentur ea, quæ mouentur, moueri non possunt. Ergo forma est ἀκίνητόν τι. Non autem hoc intelligendum est de motu locali: sed eo motus genere, cuius interuentu res vertitur in seipsâ.

97.
Pro veritate huius affectionis hoc haberi potest argumentum. Cum motu coniuncta mutatio est. De formâ hoc non potest dici: quia nec mutabilis est ex se, nec contendit ad mutationem: alioquin se ipsam interimeret, forma igitur fuerit ἀκίνητος.

D

Sextam

98.

Sextam affectionem habemus de ortu & interitu lib. 1. cap. 7. *ἡ δὲ εἶδος, καὶ ἡ ἰδέσθαι, ἕξις τινές.* Formæ verò & fines sunt quidam habitus. Cæterùm probè aduertendum, formam talem esse habitum, quem res acquirit simul ac est, quod est: nec etiam ab eadem amoueri potest, quamdiu res est, quod dicitur. Est enim non ἐπίκλησόν π: sed ἐμφύλιον πρώτως, quo res carere nequit vel ex toto, vel ex parte.

99.

Septima affectio legitur Metaphys. lib. 6. cap. 4. *ὅταν ἄλλο κατ' ἄλλο λέγεται, ὅτι ἐστὶν ὅπερ τόδε π: οἷον ὁ λευκὸς ἀνθρώπος ὅτι ἐστὶν ὅπερ τόδε π: ταῖς ὑσίαις ὑπάρχει μόνον.* Quando aliud de alio dicitur, tum illud non est forma: vt albus homo non est aliqua forma. (id est, albedo in homine) siquidem forma essentis tantummodò inest. Sententia est: formam vni tantummodò cōpetere rei, nec vllam esse, quæ pluribus conueniat.

100.

Confirmatur hoc: quia vnumquodque in vniuersâ vniuersitate est vnum, at vnum quid atque separatum res tantummodò fieri potest per formam. quocirca & ea incommunicabilis est ἀκοινώνησόν π. Et si eam varijs attribui contingeret, contingeret & diuersissima inter se fieri vnum formâ: quod conspuat naturæ conditio.

101.

Octaua affectio Metaphysices lib. 6. cap. 4. exstat, & hæc est. *διὸ καὶ νῦν, ἐπεὶ λεγόμενον φανερόν, καὶ τό τι ἦν εἶναι ὁμοίως ὑπάρχει. πρώτως μὲν τῇ ὑσίαι: εἶτα καὶ τοῖς ἄλλοις: ὡς περὶ καὶ τό τι ἐστὶν ὅτι ἀπλῶς τῷ ἦν εἶναι, ἀλλὰ ποιῶ καὶ πόσω τι ἦν εἶναι.* Sonant ita. Quapropter & nunc, siquidem manifestum est quod dixi, & quod erat esse consimiliter existit. Primum quidem in essentia, deinde & in alijs: quemadmodum etiam ipsum quid est non simpliciter formæ, verùm & qualitati & quantitati adesse potest. Quibus verbis innuitur hoc: Formam alijs conuenire prius, & alijs posterius: in vniuersum tamen manere verum, quidvis suâ constare naturâ: formam autem primò residere in substantijs: deinde etiam suas formas esse accidentibus.

Nonam

102.

Nonam affectionem porrigit Aristoteles Metaph. lib. 6. cap. II. ἡ οὐσία ἐστὶν τὸ εἶδος τὸ ἐνὸν, ἐξ ἧς τῆς οὐλῆς ἢ σύνολου λέγεται οὐσία. Essentia est forma inexistens, ex quâ & materiâ vniuersa essentia dicitur. Vocatur ab Aristotele forma οὐσία, non quòd sola & per se essentia sit: sed quòd essentiam efficiat, si ad materiam accedat.

103.

Hæc affectio videtur habere duas partes: vnam, quâ forma dicitur ἐνὸν: alteram, quòd ex illâ & materiâ vniuersa substantia dicatur. Ergo affirmatur: formam cum materiâ rem constituere. affirmatur & hoc: aliter rem per materiam constitui, quàm: per formam. Nam si forma idem faceret in re constituenda, quod materia materiæ non annumeraretur tantquam res, quæ iuuaret conatum materiæ. annumeratur autem.

104.

Affectio decima esto hæc. Forma distinguit. Aurea hæc affectio tam certa est, vt certè vel cum certissimâ certet. Appello Aristotelem, qui huius sententiæ est autor: is Topicorū lib. I. sic scribit. τὸ δὲ τὰς διαφορὰς εὐρεῖν, χρήσιμον πρὸς τε τὰς συλλογισμὸς τὰς περὶ ταυτῶν ἢ ἑτέρων, ἢ πρὸς τὸ γνωρίζειν τί ἐστὶν ἕκαστον: Quæ sonant latinè. Differentias autem inuenire, vtile est tum ad Syllogismos de eodem ac diuerso extruendos, tum ad cognoscendum, quid quæuis res sit.

105.

Quòd autem forma distinguat, vel hinc liquet: quia est conspicua rei tessera, per quam dignoscitur. Et vt hæderâ cognoscitur vinum vendibile: ita & formâ suâ res cognoscitur id, quod est: & per hanc ab alijs separatur, cum quibus ratione materiæ habebat aliquod commercium.

106.

Affectio vndecima. Forma est causa multitudinis. causa vnius per se: causa multitudinis per accidens.

D 2

Ita



107.

Ita demonstratur, quod propositum est. Forma dirimit, quæcunque dirimi possunt. Nam ubi ratione formæ res non potest distrahi, eam vnam esse est necesse. At quod vim habet dirimendi, illud est multitudinis causa. Facit enim, ut sint plura ea, quæ antea videbantur vnum.

108.

Affectio duodecima. Formæ locus est materia. Verùm forma non est in materiâ, ut Deus dicitur esse in cælo: nec est in materiâ, ut punctum est in circulo: nec est in materiâ, ut corpus: Sed est in eâ ut signatrix, seruatrix, reatrix, ut cum illâ efficiat vnum quid, à quo nunquam potest separari saluâ rei essentiâ, & nomine.

109.

Percensuimus quoque iam aliquot formæ affectiones: animus est etiam priuationis aliquot iam percensere. Ideoque ad eas passu feramur, quarum prima sit hæc, quæ legitur Physicorum lib. 1. cap. 7. ἡ σέξις ἐστὶν ἀντικείμενον: Priuatio est oppositum quid.

110.

Cum quo enim priuatio minimè consistere potest, illud procul dubio eius est oppositum. At cum formâ minimè consistere potest, cui hostiliter aduersatur. Etenim illâ accedente, abscedit priuatio: quâ abscedente, succedit ipsa. Fuerit ergo priuatio opposita formæ.

III.

Affectio secunda. Priuatio est ἀταξία.

112.

Forma est τάξις. Forma enim est causa, ut quidlibet in natura sit vnum, & vnum ab altero dependeat: atque hac ratione fuerit ordinis causa & effectrix. Ostensum autem est priuationem opponi formæ. ἀταξίας itaque fuerit causa, nec per eam vnum aliquid fiet, nec faciet, ut vnum ab altero dependeat.

Affectio

113.

Affectio tertia Priuatio est καθ' αὐτὸ μὴ ὄν, non ens per se. Phys. lib. I. cap. 8. Repetit idem Aristoteles in sequenti capite, ubi ait: ἡμεῖς μὲν γὰρ ὕλῃ καὶ σέξῃ σιν ἕτερον εἶναι φασίμεν: καὶ τῶν τῶν μὲν ὄν εἶναι κατὰ συμβεβηκός, τὴν ὕλῃ: τὴν δὲ σέξῃ σιν καθ' αὐτὴν. Quid velit Aristoteles, cuique viderelicet.

114.

Affectio quarta. Priuatio est κακοποιόντι. exstat Physicorum lib. I. cap. 9. Verba Philosophi sunt hæc. ἡ δὲ ἕτέρα μοῖρα τῆς ἐναντιώσεως πολλάκις ἀνφανίσθῃ τῶ πρὸς τὸ κακοποιόν αὐτῆς ἐνατενίζοντι τὴν διάνοιαν, ὅδε εἶναι τὸ παράπαν. Id est: Altera verò, cum pars sit contrarietatis, sæpenumerò apparet illi, qui rationem ad maleficam naturam ipsius dirigit, non esse vlllo modo.

115.

Quidam finistrè admodum hoc interpretantes τὸ κακοποιόν adscripserunt materiæ: (forsitan interpretatio hæc à quodam sæpiùs euacuata mentis monacho fuit somniata) verum verosimilius est, imò certò verum est τὸ κακοποιόν conuenire priuationi.

Hæc dicere habui de affectionibus priuationis. Perambula Aristotelis libros, plures inuenies: nos his sumus contenti. Operosum enim foret, si singulas referre velimus. Et sic præfenti disputationi finis impositus esto. Deo sit laus atq; gloria per innumerabiles myriadas seculorum.

C 3

CORO=

CORONIDIS LOCO

QUAEDAM SVBIVNGAMVS PRO-
blemata, de quibus variè disceptatur in re-
gno Philosophico.

I.

AN omne pronunciatum, quod ius ciuitatis scientiæ cuius-
dam appetit, debeat esse καθόλου, vel κατὰ παντός? Affirma-
mus. Appellamus autem illud καθόλου, vel κατὰ παντός, si eius ve-
ritas sit æterna: si eius veritas tam constans sit, vt in omnem
æternitatem non variet.

II.

An sit ex re rei literariæ, si sola enunciata καθόλου πρώτως in
scientias comportentur? Affirmamus. Est autem καθόλου πρώτως
eiusmodi enunciatum, cuius subiectum in solum influit præ-
dicatum, & prædicatum dependet ex solo subiecto.

III.

An tantum τὰ ἐμπεφυκότα intra scientiam sint admitten-
da? Affirmamus. ἐμπεφυκότα autem sunt analogæ subiecti, quæ
pullulant ex subiecto, cui insunt.

IIII.

An doctrina prædicamentorum intra pomeria Logicæ sit
recipienda? Negamus simpliciter.

V.

An doctrina de causis sit essentialis pars Physicæ? Nega-
mus & hoc.

VLTIMVM.

An Ens sit genus Synonymum substantiæ & accidentis?
Affirmamus.

Σφάλματα, quæ irrepserunt, sic corrige.

Thesi 3. versu 4. lege γινεσθαι. Thes. 9. v. 2. l. εἶναι. Th. 18. v. 7. l. cum. Th. 25.
v. 12. l. tantū. Th. 31. v. 5. l. ὅσπερ. Th. 50. v. 6. l. ipsum. Th. 54. v. 5. l. substantia.
Th. 57. v. 13. l. habeat aspectum: sed quod non est. Th. 62. v. 7. l. transuerbera-
ri possit. Th. 84. v. 3. l. permultum.



X2615896

V. 17







1596, 4

9

TIO PHY.
DE RERV
incipijs:
M,
nte gratia,
SIDIO,
SSIMI,
CTRINARVM
I VIRI, D. M. MI-
inclytam Tybingensium Aca-
ris sui multum colendi, 4.
solitis, pro ingenioli
ndere cona-
LANSIVS
ACVS.
NGÆ,
Gruppenbachius,
D. XCVI.